

dationis Alexander Papa predecessor noster quod ab eodem Episcopo super premissis factum fuerat ratum et gratum habens, id auctoritate Apostolica confirmavit. Et tu maiori erga Romanam Ecclesiam devotionem ferveres, predictum officium tibi heredibusque eisdem in devotione Ecclesie persistentibus, sub eisdem concessionibus, gratiis et feudo, sub quibus illa tibi predictus concessit Episcopus, Locum Anatii, Terras et olivas Curie in Territorio Monopoli et domos Curie sitas in Monopoli quas tenebat Marchettus familiaris Manfredi, quondam Principis Taranini, et terram vacuum in portu predicti Baroli, iuxta Ecclesiam Santi Cataldi, longitudinis septem et latitudinis quatuor cannarum. Terram etiam de Burgo Baroli, a domo Petri de Roma usque ad portas Santi Stephani cum suis pertinentiis, necnon vineas Curie que fuerunt qd. Magistri Procopii quas postea tenuit Ribaldinus, de fratrum suorum consilio ex certa scientia tibi tuisque heredibus in perpetuum de novo concessit de gratia speciali. prout in Apostolico privilegio super hoc tibi concesso, Romane Ecclesie Cardinalium subscriptionibus roborato plenius continetur. Quare nobis humiliter supplicasti ut ne contingat te seu dictos heredes circa premissorum assecutionem et retentionem aliquid obstaculum seu impedimentum habere, vel alias nos super eis turbari, aut gravari se molestari quomodolibet impeti vel vexari providere nobis super hoc oportuno remedio curaremus. Attendentes igitur quod sicut a fidedignis didicimus pro devotione sincera quam ad romanam geris ecclesiam inconcusse servanda non solum *etc. (segue come nel docum. precedente)* cum in concessione carissimo in Christo filio nostro Carolo Regi Sicilie Illustri de Regno predicto ab Apostolica sede facta, seu inter condiciones insertas eidem concessioni fuerit expressum, quod Ecclesie Romane fidelibus, ius quod in Comitatibus et bonis si que in Regno eis predicto a Regibus et Principibus essent concessa, obtinent penitus salvum existat, nec per ipsam concessionem super comitatibus, seu concessis eisdem cuiquam quoad proprietatem seu possessionem preiudicium generetur, regio in hiis omnibus iure salvo. Nos confirmationem et concessionem per nominatum predecessorem taliter tibi factas, volentes in premissis bonis sic tibi confirmatis et concessis per eum, ius tibi et tuis heredibus totaliter esse salvum et integrum remanere, gratas et ratas habemus, ipsasque salvo iure regio tibi et tuis heredibus in devotione ecclesie persistentibus, auctoritate apostolica confirmamus et presenti scripto patrocinio communimus. Nulli ergo nostre confirmationis etc. Datum Perusii XIII. Kalendas. Ianuarii. Anno. Primo.

---